

extinctam liquet, ex lib. I. Paralip. Cap. 3. v. 17. Filii Jechonia fuerunt, *Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, & Jecemia, Sama, & Nadabab.*

Neque enim fingi potest, tot Jechoniae filios, eo in libro, fuisse adscriptos, ex lege duntaxat Levitatus, ut aliqui fabulantur: quod ei sine liberis defuncto, ab eius fratre, vel propinquo, semen ejus suscitante sint geniti, ipsique attributi. Ex lege quippe Levitatus, unus duntaxat, isque solus primogenitus defuncto ascribebatur; non itidem reliqui, si plures ex inito cum relicta vidua Matrimonio nascerentur: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit; uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui; & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Deut. Cap. 25. v. 5. Qui itaque multo numero dicuntur Jechoniae filii, ab illo vere sunt geniti, non ex Levitatus lege eidem sunt attributi. Quare quod Jeremiae 22. v. 30. de Jechonia legimus, fuisse illum sterilem; de physica, ut ita loquar, sterilitate nequit intelligi, sed de morali duntaxat: quod multos licet habuerit liberos, nullos tamen ex iis regni haeredes, & successores habuerit: ut subiecta Jeremiae verba plus satis indicant: *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.*

Tertio Salathielem Jechoniae succedaneum a Matthaeo datum, non ab ipso proxime genitum, sed ex Nathan ultimo procreatum effutunt novi hujus systematis inventores: Matthaeo ipso discretissime repugnante, *Jechoniae genuit Salathiel*: Laudatoque Paralipomenon Scriptore dissentiente, *filii Jechoniae fuerunt, Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, &c.* Postremo Josephum Christi parentem, non Jacobi, sed Heli naturalem filium comminiscuntur: repugnante perinde Matthaeo, Josephum a Iacobo genitum affirmante.

Neque vero reponi potest, successores in regno, regnandive jure, Antecessorum filios appellari. Id quippe tam falsum est quam quod maxime, ac praeter morem Scripturarum. Ac si forte concederetur, successores praedecessorum filios dici posse; nemo tamen illos ab iis genitos dicit, (qua loquendi formula Matthaeus est usus) a quibus regnandi jus tantum, non item vitam & spiritum acceperunt. Uti certe nemo sani capitis fuit unquam, qui aut Henricum IV. Henrici III. filium, aut Philippum V. a Carolo II. genitum dixerit; quod huic ille in Regno Galliarum, ille iste in Hispaniarum Regno successerit; a quibus neuter originem duxit.

At iniquum novae hujus conciliationis inventores: Matthaeus discretissime scribit, *Achaz autem genuit Ezechiam*: ob id unice, quod illum regni successorem habuerit. Cum enim Achaz, subjungunt illi, annos duntaxat undecim natus fuisse probetur, dum natus est Ezechias; minus verisimile est, tam tenera aetate filium genuisse. Sed & hanc futilem argutiam, ex mera verisimilitudine ductam, occupavit diu olim D. Hieronymus Epist. ad Vitalem 132. aliique productis exemplis, ac ipsius etiam Salomonis, qui undecim pariter annos natus filios procreasse convincitur, nihil id repugnare demonstravit.

Prioribus igitur geminae conciliationis conciliationibus standum omnino: postrema haec uti inutilis relinquenda.

EXERCITATIO XLIII.

Quo pacto ambae Christi genealogiae cum historia veteris Testamenti conciliantur?

I. **M**ediam duntaxat suscepti operis partem expeditivimus, dum binas Matthaei, & Lucae genealogias mutuo secum conciliavimus, ne pugnare invicem videantur. Restat pars altera difficilior expedienda; earum scilicet, cum veteri Testamento tentanda conciliatio. In multis quippe capitibus a sacra veteris Testamenti historia quam longissime diffidere videntur. Quare speciosas illas dissonantias, & Antilogias in quatuor classes distribuimus, quo facilius, & commodius in concordiam revocentur.

II. Prima dissonantia sic se habet: Apud Matthaeum Cap. 1. *Joram genuit Oziam*: quarto autem Regum libro, Cap. 8. & 11. *Joram genuit Ochosiam, Ochosias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam*. Tres itaque gradus genealogici apud Matthaeum omittuntur.

At nec est illa proprii nominis dissonantia, nec Matthaei propositio *Joram genuit Oziam* absolute falsa est. Quia Joram fin minus immediate, ut ajunt, at saltem mediate Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula, Nepotes ac pronepotes filii dicuntur Avorum, & proavorum; (ut dum Christus dicitur filius David, Judaei filii Abraham) ita avi, proavique dici possunt genuisse Nepotes, ac pronepotes. Isaiae 51. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quae peperit vos, quamquam aetate Isaiae annos circiter mille trecentos ab Abrahamo, & Sara Judaei numerarent*. Cur autem tres illi intermedii progenitores a Matthaeo silentio missi fuerint, Ochosias, Joas, & Amasias, moralis ratio est: quia tres illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochosiam ex Athalia filia Achabi: Deus autem Achabi progeniem maledixerat, usque ad mingentem ad parietem III. Reg. Cap. 21. ideoque non erant in Christi genealogia recensendi. Uti plane Tribus Dan in recensione signatorum ex omni Tribu filiorum Israel praetermissa est, Apocal. Cap. 7. quia haec a Dei cultu defecerat, ac sese gentibus immiscuerat, Judicum 18. Ideo tamen secuti deinceps Achabi posteri in Christi genealogia sunt recensiti, quia Dei maledictio filiiis interminata ob peccata patrum, non protenditur ultra tertiam, & quartam generationem: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

III. Altera dissonantia hujusmodi est: Apud Matthaeum *Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis*. Ubi duplex videtur erratum. 1. Quia Josias non genuit Jechoniam, sed Joachin; Joachin vero genuit Jechoniam, IV. Regum Cap. 24. & 25. unde gradus unus genealogicus videtur omissus. 2. Quia Josias occubuit ante transmigrationem Babylonis, lib. II. Paralip. Cap. 34. adeoque Jechoniam, & fratres ejus generare non potuit in transmigratione Babylonis.

Missis implexis, obscurisque variorum Interpretum solutionibus, idem ferme repono, quod antea; gradum unum fuisse omissum, at iusta de causa, & illa Evangelica veritate. Iusta, inquam, de causa, quia Joachin Josiae filius, & Jechoniae, seu Joachini secundi pater, vir nequissimus fuit, & ob ingentia scelera sepultura Aini extra portam Civitatis sepultus est, Jeremiae Cap. 22. v. 19. Idcirco in Christi progenitorum serie, silentio mittendus Matthaeo visus est, perinde ac Ochosias, Joas, & Amasias de quibus antea dicebamus.

mus. Illa quoque Evangelica veritate id factum est: quippe stat semper, Josiam genuisse Jechoniam, non immediate quidem, ut ajunt, sed medio Joachino filio suo. Quae loquendi ratio ex Sacrarum Scripturarum usu maxime est. Neque refert, si dixeris, Jechoniam, seu Joachinum secundum, (binomium enim fuit) haud multo meliorem fuisse Joachino primo patre suo; adeoque patri ratione fuisse omittendum. Ne enim omitteretur & ipse, peculiaris ratio obfuit: quia dignitas Regum Juda ex stirpe David in eo finem habuit; idcirco peculiaris ipsius mentio facienda fuit. Huc adde, non deesse qui putent, omissionem illam Joachin Josiae filii a Matthaeo ipso consulto factam non esse, sed Scribarum, & Amanuensium mendam id esse. Testatur enim Faber Stapulensis, a Joanne Maldonato laudatus, legisse se Codicem Graecum ita referentem: *Josias autem genuit Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. At num haec verius peculiaris illius Scribae audacia fuit, qui Joachinum de suo adiecit? Quod autem additur a Matthaeo in transmigratione Babylonis, non refertur ad genuit, quasi Josias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in transmigratione Babylonis: objerat enim diu ante quam transmigratione fieret: sed refertur ad Jechoniam, & fratres ejus, quasi dicat: *Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in transmigratione Babylonis*.

IV. Tertia dissonantia videri ista potest. Legimus apud Matthaeum: *Et post transmigrationem Babylonis Jechoniae genuit Salathiel*: Jeremiae vero Cap. 22. v. 30. *Jechoniam sterilem legimus: Pone, inquit, virum istum sterilem*; quomodo ergo genuit Salathielem? Rursus apud Lucam Cap. 3. *Salathielem legimus Neri filium: Salathiel, qui fuit Neri*. Demum lib. II. Paral. Cap. 35. *Salathiel genitus dicitur in ipsa transmigratione Babylonis: non itaque post transmigrationem*.

Ad singula capita responso in promptu est. In primis enim Jechonia absolute sterilis dictus non est, cum multos habuerit filios lib. I. Paralipomenon Cap. 3. v. 17. recensitis, ac ipsum, de quo hic agitur, Salathielem; sed moraliter, ut ita dicam, quod nullos de stirpe sua Regni haeredes, & successores habuerit; quod ex ipsis Jeremiae verbis liquet aperte: *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*. Ad secundum reponunt nonnulli, Salathielem, de quo Lucas, alium esse ab eo, de quo Matthaeus. Ille enim, inquit, filius fuit Neri a Davide descendens per Nathanem; iste filius Jechoniae a Davide descendens per Salomonem. At si sic est, nullo jam certo documento evincemus, Christi progenitores a Luca notatos, infra Salathielem, a Davide etiam per Salomonem descendisse. Quod tamen necesse omnino est; cum Christus a Davide per Salomonem esset orturus, Reg. II. Cap. 7. Quare reponunt alii, Salathielem, de quo Matthaeus, eundem ac illum esse, de quo Lucas; filium tamen naturam fuisse Jechoniae, adoptione vero filium Neri; quod mortuo Jechonia vero illius parente, a Nerio fuisse adoptatum: adeoque Lucam adoptionem spectasse potius, quam naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, seu potius nepotem dicunt ex parte matris; quod haec Neri filia esset. At cur, quae, Lucas relicto patre ad maternum genus lineam genealogicam detorsisset? Quare verius reposuerim ego, Salathielem secundum naturam filium fuisse Jechoniae, secundum legem Levitatus filium Neri: quod Nerio sine liberis extincto, Jechoniae cognatae ejus relictae patre ad maternum uxorem duxerit, e qua Salathielem suscepit. Tertium antilogiae caput

Serry Tom. III.

levius est, quam ut quemquam morari possit: Matthaeus enim Salathielem genitum scribens *post transmigrationem Babylonis*, eo nomine actum ipsum intellexit transmigrationem & Judaeam in Babylonem: Auctor vero libri II. Paralip. in ipsa transmigratione genitum scribens, totum tempus intellexit commorationis in Babylone, quae annos septuaginta perduravit. Per id enim temporis Jechoniae genuit Salathielem. Non itaque invicem collidunt Matthaeus, & Scriptor Paralipomenon.

V. Quarta dissonantia haec est. Apud Matthaeum *Salathiel genuit Zorobabel*. Contra vero lib. I. Paralip. Cap. 3. *Zorobabel fuit filius Pedaje, non Salathielis*. Sic sane. Verum Zorobabel, de quo sermo est lib. I. Paralip., alius longe est ab eo, de quo sermo est in genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, si alius ei pater assignetur. Zorobabel, de quo Matthaeus, ille ipse est, de quo sermo est apud Esdras, & Aggaeam, qui semper Salathielis filius nuncupatur. I. Esdrae Cap. 3. v. 2. & 8. Cap. 5. v. 1. Aggaeae Cap. 1. v. 12. Cap. 2. v. 3. Certe duorum Zorobabelium distinctio hinc maxime patet, quod illis diversi assignentur filii. Zorobabelis enim Evangelici filius dicitur Abiud: alterius Zorobabelis filii dicuntur Mozolla, & Hanaia, lib. I. Paral. Cap. 3.

VI. Quinta dissonantia. Apud Lucam proximos Christi avos ita notatos legimus: *Qui fuit Mathas, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*. Nonnulli tamen Patres, Julius Africanus, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, interdum duobus mediis praetermissis, ita simpliciter legunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*.

Sit ita vero: Ergone Lucas in vitio est, si qui forte Patres aliquando aliter legerint? Aut etiam, si superis placet, ex Patribus Evangelicum emendabimus, ac non potius Patres ex Evangelio? Si qui ergo alicubi legerunt aliter, nonnullaque inter scribendum genealogicos gradus praetermisere; id vel occitancia factum est, vel quod in mendosos fortasse Codices, si qui tamen sunt hoc in capite, inciderint aliquando.

VII. Sexta dissonantia. Matthaeus a Zorobabele ad Joseph, per annos circiter quingentos, novem duntaxat generationes percensit, quae vix tanto temporis spatio implendo sufficient. Lucas vero generationes enumerat undeviginti.

Non ideo tamen invicem pugnant, aut Matthaeus in vitio est: fieri quippe potuit, ut pauculi illi a Matthaeo notati progenitores, provectori admodum aetate filios ediderint, quam qui sunt a Luca majori numero recensiti: atque ita ingens illud temporis spatium pauculae illae generationes impleverint. Aut, quod opinari malim, potuit Matthaeus, certa de causa, generationes aliquas intermedias silentio mittere, in iis sextae mundi aetatis progenitoribus numerandis; quemadmodum tres ad quintam mundi aetatem attinentes paidogonias, Ochosiae scilicet, Joasi, & amasiae, de industria praetermisit, non ignorantia Scripturarum.

VIII. Septima & ultima dissonantia gravior ceteris visa est. Apud Lucam inter Patriarchas, qui transacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis pater, Cainan pater Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: cum contra in libris Moisaicis, aliisque veteris Testamenti, non uno in loco, sed pluries, Cainane praetermissio, Arphaxad pater Sale fuisse dicitur: Genes. Cap. 10. v. 24. Cap. 11. v. 12. & 13. Lib. I. Paralip. Cap. 1. v. 18. Neque enim reponi potest, quod nuper recentiore aliquem respondisse video: Arphaxad mediate, ut ita loquar, genuisse Sale, nempe Cainane intermedio; ut dum Joram Oziam genuisse dicitur. Quandoquidem Genes. Cap. 11. v. 12.

T

ex-

expresse dicitur: *Arphaxad vixisse triginta quinque annis, & genuisse Sale*; quæ loquendi formula nulum medicæ alicui generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadam inter, & Sale, medius fuit Cainan ipfius Sale genitor; non jam Arphaxadus triginta quinque dumtaxat annorum fuit, dum Sale genitus est, fed longe plurium; iis videlicet infuper additis, quos Cainan ejus filius, dum Sale genuit, numerabat.

Quapropter alterutrum fateri cogimur, vel mendum irrepsisse in veteri Testamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit: vel irrepsisse mendum in Evangelio Luca, ubi perperam adjecta fuerit. Quia tamen facilius est, Scribarum audacia mendum semel tantum irrepsisse Lucæ 3, per levem additionem præpostere factam; quam irrepsisse omnino quater in veteri Testamento, per studiosam generationis unius detractionem; tot enim vicibus ibi legitimus, Arphaxad genuisse Sale, omisso Cainane: probabilis multo est, Cainanis generationem Arphaxadam inter, & Sale, in Lucæ Evangelio a Scribis, & Amanuensis fuisse insertam. Id ut afferam, alia multa me movent, quamquam vel hoc unum, etsi deessent alia, abasde sufficeret. 1. Quia nulla Cainanis illius, inter Arphaxadam, & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneseos, & Paralipomenon, nulla in Versioibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata nostra. 2. Quia Berofus Chaldaeus, Eupolemon, Alexander Polyhistor, quorum fragmenta extant apud Josephum lib. 1. Antiquitatum Cap. 8. & apud Eusebium lib. 9. Præparationis Evangelicæ, Cainanem illum aperte rejiciunt. Quippe qui Abrahamum decima post Diluvium generatione vixisse, concorditer scribunt; qui tamen, numerato Cainane, undecimus esset. 3. Quia Scriptores Hebræi vetustiores, & insigniores, Josephus, & Philo, eundem in textu Patriarcharum serie secundæ ætatis præmittunt. Uti etiam Eusebius Cæsariensis in Chronico; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tamen in hodierna septuaginta Interpretum Versione, Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuisse illic insertam, & a primigeniis illius exemplaribus abfuisse: cum Philo Judæus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui septuaginta Interpretum calculos sequi solent, Cainanem illum in stemmate genealogico Patriarcharum omitant: notetque Procopius Gazæus ad Caput 11. Genes, Cainanis generationem in Versione septuaginta Interpretum obelo fuisse confixam, in Hexaplis Origenis: *Hebraica, inquit, veritas habet, Salem genitum esse ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelo signatam videntur*. 5. demum, quia abest idem ille Cainan a nonnullis pervetustis Codicibus Græcis, ipsius etiam Evangelii Lucæ, ac maxime a Codice Græco Latino quarti, ut plerique putant, Ecclesiæ sæculi omnium probatissimo, in Galliis olim asseruato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigienfi. Unde maxime liquet, ne quidem apud Lucam extitisse primitus Cainanem illum; sed deinceps temere, ac per summam audaciam fuisse insertum. Quæ summorum virorum sententia fuit, estque totiam hodie: Cornelii a lapide ad Caput 11. Genes, Dionysii Petavii lib. 9. de doctrina temporum Cap. 17. Petri Possini in Diallectico Genealogiæ Christi, Joannis Cortesii lib. de Christi Genealogia, Natalis Alexandri in Historia Ecclesiastica veteris Testamenti, differ. 3. in secundam Mundi ætatem.

IX. Sed extat, inquis, Cainan ille in vulgata S. Lucæ Versione, quæ a Concilio Tridentino ut

authentica probata fuit. Ita sane: sed abest, in quo ego, in vulgata veteris Testamenti Versione, quæ perinde authentica est, eisdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitum esse, necesse est, quantacumque sit illa vulgata Versio authentica: multiplex tamen in Veteri Testamento, simplex in Novo mendum erit: nam quater illic deest Cainan, istic semel abundat. Imo longe gravius illic mendum erit, patentiore lacuna. Cum enim Moyses Genes 11. non modo narret generationes omnes Patriarcharum à Noe usque ad Abraham; verum etiam distincte notet, quoto quisque vitæ suæ anno filium genuerit, quove subinde annis post genitum filium supervixerit: si qua illic, Cainanis occasione, mutilatio facta est; consequens erit, non modo Cainanis generationem fuisse detractam, verum etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; amosque perinde, quos post Sale genitum ad mortem usque numeravit. Cum itaque Vulgata Versio authentica jure ac merito nos moveat, ne eam sub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat, concedendum potius leve, simplexque mendum in Evangelio Luca, quam multiplex, graviusque in Moyse Pentateucho?

Ut fatear nihilominus quod res est: nihil istius generis menda, ubicumque contigerint, vulgata Versio authentica officunt. 1. Quia constat ex Criticis universis, ac ex ipsa Præfatione Clementinae Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujusmodi menda nonnulla, etiam ad præsens in ea Versioe reperi; quorum scriptores aliqui elenchum, & indicem texerunt. 2. Quia etiam postquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, a variis mendis levioribus repurgata fuit a Sixto V., & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authenticam satis est, si nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberrat a vero. 4. Quia a Concilio Tridentino authentica dicta est comparate ad reliquas Versiones; non quod fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda sit, ad quorum potius fidem, publica Ecclesiæ auctoritate, emendari possit. Quæ omnia, ne quis forte audacius dicta putet; legat, si per otium vacat, Andream Vega lib. 15. de Justif. Cap. 9. Alphonsum Salmeronum Proleg. 3. in Evang., Melchioris Cano lib. 2. de locis Cap. 13. Didacum Payva de Andrata lib. 4. defensionis vulgatae, Robertum Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei Cap. 10. & 11. Sixtum Senensem lib. 8. Biblioth. Card. Pallavicinum lib. 6. Hist. Concilii Tridentini Cap. 17. Serrarium in Prolegom. Cap. 19. quaest. 18. Driedonem lib. 2. de Translationibus Scripturæ Sacræ Cap. 1. Bonfferium in Præloquis Cap. 15. Eusebium in Præfatione ad Origenis opera, Marianam in Tractatu de vulgata Editione Cap. 9. ac etiam Præfationem recentioribus Bibliis affixam, ubi hæc ipsa fusius explicantur, & confirmantur.

Quia vero hanc hodiernis Italiæ Theologis labem injuri video, ut, neglecta fide Majorum, in contraria nunc sententia versari credantur: placet dictis adjicere, quæ paucis ante diebus Orator Summus, idemque Theologus non vulgaris, coram Eminentiſſimo Principe, ac delibato totius litteratissimæ Civitatis flore, e suggestu pronuntiabat, dum de veterum linguarum studio Sacrarum Scripturarum studiis adjungendo, publice diceret. *Græcos, inquit, & Hebræos Codices, tum ipsa vetustate exesos, tum etiam multorum audacia corruptos esse: hæc ipsi Tridentini Concilii Patres spectavisse, cum Vulgatam unanimi consensu probaverunt, & unam ex omnibus Sacrorum Bibliorum editionem, Christianis hominibus commendavimus. Non*

tantum mihi a vobis conceditur otii, ut veteri calumniam, sepiusque vetusta hodierna luce respondeam: id unum dicam, quod, ubi opus fuerit, gravissimorum Scriptorum suffragia confirmare possum; Vulgatam editionem, non Græce, aut Hebræice, sed reliquis Latinis, quarum magna copia, & varietas in dies exibat, necessario illic Tridentinorum Patrum decreto præpositam fuisse. Multa quidem commoda, ac prope innumera in Christianam Ecclesiam ad fidei, morumque leges componendas, per Synodum Tridentinam redundarunt; sed nihil tam grave accepimus, quam quod ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum Interpretationibus, una illa probata est, quæ ceterarum optima, ac fidelissima nutantia multorum ingenia tanquam clavo firmaret, certisque regionibus circumscriberet. Neque tamen ideo Hebræicis, aut Græcis codicibus, unde Latini omnes, ceterique manarunt, quipiam auctoritatis detractum est: stat adhuc eorum fides firmis prædictis fuit, licetque in rebus dubiis ad prima illa Verbi Divini exempla, non modo sine crimine, verum etiam cum laude provocare. Haud equidem nego, multa quedam in illis esse, nonnulla vero etiam mendosa; sed & menda ipsa verenda antiquitatis indicia sunt, & partibus insunt minime necessariis; & in Vulgatam quoque, Librarium incuria, se minuta quælibet animadvertimus, irrepsissent. Nihil novi assero, nihil, quod summi Vulgate patroni, si serio, & ex animo agant, negare possint. Sed vereor auditores, ne quemadmodum qui dignitates in Republica obtinere non possunt, privatam atium laudare solent, omnemque rei gerendæ rationem acquisitis difficultatibus improbari: ita qui Græca, & Hebræica studia, sive animi infirmitate, sive inertia deserviunt, eorum laudem malignis imminuant, tantumque Latinis concedant, ut modum, fidemque superet.

X. Ad hujus exercitacionis superiorisque coronidem, quæret quis forsitan ex me, cur Spiritus S. qui factorum Evangelii Scriptorum animum in scribendo movit, & calamum duxit, speciosas illas, quæ non vixi difficultat conciliari possunt, antilogias, in textu Christi stemmate genealogico, induci inferique permisit? Respondeo totum id miro Dei consilio factum, ut sua facris Evangelii auctoritatibus constet. Si enim, in avis aravique Christi Domini magno numero recentendis, una tantum Mattheus & Lucas processissent via; eisdemque omnes ad unum avos atavosque ex nomine appellasset, ac veluti syllabam invicem consenserent; ex compacto & collusione; non peculiari seorsum afflatu scripsisse putarentur; aut certe alter alterum, Lucas Mattheum, humana industria exscripsisse, videri posset. Si autem in eas ambo incidissent antilogias, quæ nulla possent ratione conciliari; atque ita Deo minime assistente scripsisse convincerentur. Ut igitur utrumque vitaretur incommodum, alla uterque Scripturæ processit via; iisque secum invicem antilogias in speciem pugnant, quæ tamen adhibito aliquantulo studio conciliantur. Sic sua undecumque factorum Evangeliorum Scripturibus stat auctoritas, nullis impiorum suspicionibus obnoxia.

EXERCITATIO XLIV.

De Infantia, & Adolescentia Salvatoris: deque illius vitæ ratione, & instituto.

I. DE Infantia, & adolescentia Salvatoris ab anno vitæ suæ altero, quo ex Ægypto eductus est, usque ad annum circiter trigesimalum, quo Baptismate in Jordane tinctus est, cepitque Sery Tom. III.

publicum ministerium obire, unum dumtaxat, alterumque verbum habet Evangelium. Quæ res in causa fuit, cur infans propemodum de puero, & adolescente Jesu fabella a nebulosis fuerint excogitata, quas breviter saltem expendere, atque dispungere non gravabimur.

Mariam, & Josephum conjuges Sanctissimos, Nazarethi in Galilæa domicilium habentes, quotannis una cum puero Jesu Jerosolymam ire solitos, ad Paschalis solemnitatis celebrationem, narrat Lucas Cap. 2. Evangelii: *Isant parentes ejus per singulos annos in Jerusalem, in die solemnitate Pasche. Cujus quidem anniversariæ excursionis occasione contigit aliquando, ut puer Jesus annorum duodecim factus, parentibus in patriam redeuntibus, & incogitantibus, subliterit Jerosolymis: a quibus per triduum sollicitè questus, in Templo tandem fuerit inventus, in medio Doctorum sedens, audiens, & interrogans illos: cui cum illi dolorem suum ex tridua illa amissione conceptum significasset, repositus ille: Quid est, quod me querebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? En quid summe de Jesu puero, adolescente, imo jam viro facti, ab anno vitæ ejus secundo ad trigesimalum usque, quo tinctus est in Jordane, copietque publicum munus obire, referat Evangelium. De reliquo, quamnam tunc vitæ rationem, institutumque tenuerit, quid egerit, facit, alto silentio prætermittitur.*

II. Quare ne hanc Christi Domini vitæ partem indicam relinquamus, tria in præsentem investigabimus, quæ sola videntur difficultatem habere aliquam. 1. Qui fieri poterit, ut Christi Jesu parentes quotannis una cum illo ad Paschalem solemnitatem Jerosolymam venerint? Habet enim id difficultatem longe gravissimam. 2. Quid sibi velit ea Christi Domini in Templo tandem inventi, parentibus assidens, atque dolentibus data responsio? Quid est, quod me querebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Hinc enim arbitrari sunt aliqui etiam ex Patribus, Beatam Virginem ea occasione peccasse, quæ tam dure a Christo Domino fuit increpita. 3. Quamnam vitæ rationem, quod vitæ genus, & institutum toto illo tempore tenuerit Christus? Multi quippe multa nugantur, ac miras fabulas narrant.

III. Itaque ad rem veniamus. In anniversaria illa peregrinatione a Christi parentibus Jerosolymam fieri solita, de qua nobis est primo loco dicendum, difficultatem non movet conficiendi itineris longitudo. E Galilæa quippe Jerosolymam usque, treidum dumtaxat iter erat, quod singulis annis confici facile poterat, ac etiam debebat ex Moyſis instituto: nec modo semel, sed & ter in singulos annos, nisi forte Julæos aliquos itineris longitudo faceret excusatos: *Tribus vicibus per annum, inquit Deus Exodi 22. & Deuteronomii 16. apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit in solemnitate Agnorum, in solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum*. At difficultatem non levem creat Archelai in Judæa regnantis averſus a Christo animus, ingenisque periculum, ne puerum Jesum juberet occidi, si quotannis Jerosolymam, sedem utique Regiam, adductus esset a parentibus suis. Observat siquidem Lucas hoc ipso Capite 2. Josephum in Ægypto, suscepto mandato ut una cum puero Jesu, Virgineque Deipara in terram Israel reverteretur; de Judæa, quæ Israelis potissima pars erat, rependa statim cogitasse: verum mutasse consilium, ac timuisse illo ire, cum primum inaudivisset, Archelam illic regnare pro Herode patre suo: no-
voque

voque accepto monito, fecerit in Galilæam. Quomodo ergo ex hac ipsa Galilæa, in quam se receperat, singulis annis in Judæam, ipsamque Hierosolymam ire cum tota familia solitus erat? Numquid non idem perinde periculum suberat, regnante illic Archelao, Herodianæ crudelitatis non minus, quam potestatis, & auctoritatis hærede?

Non indignus Augustino vindice nodus iste visus est; qui duplicem ad illius solutionem viam aperit lib. 2. de Consensu Evangelistarum Cap. 10. vel Archelauum, a quo & sibi timebat Josephus, & puero, in exilium jam pulsus, non ultra in Judæa regnasse, dum Hierosolymam cum Sacra Prole Sanctissimi Parentes quotannis accederent: vel illos ad paucos tantum dies, & quidem latitantes Hierosolymis subfistere fuisse solitos: Hoc mihi dissolvere non esset difficile, inquit Sanctissimus Doctor, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelauus. Fieri enim poterat, ut per diem festum, inter tam ingentem turbam latenter ascenderent non reversuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerent, ut nec solemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum vero etiam de Regno Archelauus, quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet: ut, quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Jerusalem, tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelauus. Quod si Archelauus regnum aliquanto diuturnius ulla præter Evangelium historia prodit, cui fides habenda videatur: illud, quod superius dixi, suffecerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem festivitatem solemnem non prætermittent, in qua latere facillime possent. Neque enim incredibile est, captatis temporibus opportunis, vel diorum, vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus esse formidant. Num Augustino nota fuerit Flavii Josephi Historia, haud satis scio: illud tamen certum, nobilem Historicum, cui certe in his danda fides est, lib. 17. Antiquitatum Judaicarum Cap. 15. diserte testari, Archelauum decem annis in Judæa regnasse, antequam in exilium ab Augusto Cæsare pelleretur. Adeoque perfectum est, toto illo Regni decennio, Josephum cum puero Jesu Hierosolymam capius ascendisse; cum Lucas generatim, & universim pronunciet, eum per omnes annos ascendere fuisse solitum ad solemnitatem Paschalem. Ad nodi igitur intricatissimi solutionem, alteri Augustini responso firmiter standum existimo: Josephum nempe ex Egypto revertentem timuisse in Judæam ire, ut illic latere figeret, certamque habitationem constituere; sic enim ab Archelao fuisset facile deprehensus: non tamen perinde timuisse ad paucos dies per singulos annos illic hospitari, recurrente maxime festivitate Paschali, atque in tanta conflente undique multitudine Judæorum, intra quam, tantilla adhibita cura, latitare facile poterat. Cæterum quo subinde tempore Jesus annorum duodecim factus, palam sese noscendum Doctoribus dedit in Templo, Archelauus in exilium pulsus erat, nihilque tunc ab illo timendum erat.

IV. Nunc ad responsum afflictis parentibus datum a Christo veniamus, dum ab iis post triduanam inquisitionem inventus, dicenti Deiparæ: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes querebamus te: reposuit ille: Quid est, quod me querebatis? nesciebatis, quia in his, que Patris mei sunt, oportet me esse? Cruda sane verba, quibus aspera oburgatio videtur contineri, quasi parentes ejus ignorassent, Christum in iis esse oportere, quæ Patris ejus essent. Minime tamen, nec ita, ut prima fronte videtur, se res

habet. Quin potius verbum hoc nesciebatis per interrogationem dictum, oppositum sonat, perinde ac si diceret: Sciebatis. Uti plane 1. ad Cor. 9. Nescitis, quod qui in stadio curant, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium? Perinde est, ac si diceret, scitis, quod qui in stadio currunt &c. Et Cap. 6. v. 3. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis secularia? idem certe sonat, ac si diceret: cum illud sciat, nos Angelos esse judicatos, illud multo certius tenere debetis, nos judicatos esse secularia. Id itaque sibi voluit Christus Dominus eo dato responso: quandoquidem sciebatis, quia in his, que Patris mei sunt, oportet me esse, non erat, cur me quæreretis ut errantem: sed illud advertere poteratis, absentiam illam meam a vobis, ea de causa factam fuisse, ut opus mihi a Patre impositum implem. Ita locum hunc ingeniose interpretatur Card. Toletus Notat. 81. in Cap. 2. Lucae.

At ecce, reponit aliquis, in culpa igitur erant Christi parentes, quod id non advertent: absentiam scilicet illam ea de causa factam esse, ut Patris opus implem. Minime gentium: in culpa propterea non erant. Cum enim Christus per omnia nobis similis factus, excepto peccato, cæterorum tunc puerorum more se gereret, communeque tunc puerorum fragilitates haberet, (quas tamen non ex infirmitate, sed ex voluntate patiebatur) poterat citra culpam parentes ejus existimare, voluisse illum, cæterorum quoque puerorum more, vel a via deflectere, vel Hierosolymis alia de causa subfistere: nec scire illico tenebantur, voluisse illum hac in occasione Divinum opus implere; seque Dei Filium cognoscere. Maxime cum nihil hujusmodi toto precedenti pueritiae tempore in illo experti fuissent. Nulla itaque in parentibus culpa fuit, quam Christus dato responso reprehenderit.

V. Ita nos in priori hujus operis editione, objectæ difficultati simpliciter ac modice satisfecimus. Quia tamen Aristarchi nonnulli inventi sunt, qui tanquam horrendam blasphemiam sagillarunt, quod illic obiter diximus: Christum in puerili ætate, cæterorum puerorum more se gessisse, communeque tunc puerorum fragilitates habuisse; (quas tamen non ex infirmitate, sed ex voluntate patiebatur) atque ita potuisse citra culpam Parentes ejus existimare, voluisse illum, cæterorum quoque puerorum more, vel a via deflectere, vel Hierosolymis alia de causa subfistere: quasi nos iis verbis atrocem Christo Domino injuriam intulerimus: placet Scriptorum insignium testimonia subjicere, qui hoc idem de Christo puero disertissime docuerunt; ut hanc ipsam, quam nobis objecimus, difficultatem expedirent.

Et certe Cardinalis Toletus, qui mihi explanationis ad locum Lucae difficillimum data, auctor fuerat; quemque idcirco honoris gratia laudaveram; illud idem verbis amplioribus habet, in annotationibus 71. 80. & 81. ad Cap. 2. Lucae. Advertendum est, inquit, B. Virginem ex una parte firmiter credidisse, Christum Dei filium esse omni scientia & sapientia plenum; cui nihil a casu, nihil ex errore accidere poterat. Ex altera vero parte experta erat, eum ab infantia humano more processisse, & sicut cæteros adolescentis. Neque enim in infantia loquebatur, nec firma membra corporis ut ambularet accepit, nec propriis manibus induebatur, sed auxilio & opera Matris usus est; reliquaque infantibus & pueris fragilitates communes habuit; patiebatur sitim, famem, lacrymas, vagitus, & alia hujusmodi. Noverat profecto Virgo beata, filium Dei non ex infirmitate, sed sponte & voluntate

tate hæc pati, ut nobis similis esset, quos salvare venerat. Ex hoc factum est, ut cogitaret, etiam more puerorum, illum aberrare voluisse a via, præ tanta multitudine tunc conflente, ut solent sepe pueri a parentibus aberrare: non quidem ut cæteris, qui nolentes errant, sed volentem, sicut & cæteras hominis infirmitates hujusmodi volens assumpsit. Ita vir summus Annot. 71. quibus paria habet Annot. 80. & 81.

Idem paucis complexus est Joannes Menochius, Sacrarum Scripturarum Interpres eruditissimus, hunc ipsam Lucae contextum exponens: Quamvis, inquit ille, Parentes ejus crederent, eum esse filium Dei, qui sciret & posset omnia; noverant tamen eum cæterorum more se gerere, & communem hominum servare consuetudinem. Ideoque ne quid illi accideret adversi, aut necessarii desset, timerunt. Quæ Menochii verba excerptis, fecitque sua Joannes de Haya, in Bibliis maximis, eandem difficultatem expendens.

Accedit proxime quod in ejusdem difficultatis enodatione, commentatus est Cardinalis Baronius, in Annalibus ad annum 12. Nempe Puerum Jesum cum cognatis ac notis præmissum a Maria atque Josepho, nequidem e civitate fuisse egressum; sed veluti parentum cupidum, ut pueri esse solent, loco stans illos expectantem, aut forte iter alio fecisse: eoque modo parentibus & cognatis, ac notis incertis, divino consilio se subduxisse.

Quamquam quid hæc moror, ut datum a nobis objectæ difficultati responsum excusum? Illud potius mirari subit, potuisse ineptos Reprehensores nostros hoc ignorare, quod Theologi, quod Patres, de Christo puero communiter docent: illum scilicet, qui toto mortalis vitæ decursu, communes humanæ nature fragilitates, debilitates, infirmitates, defectus, non necessitate quidem, sed suapte voluntate pertulit; famem scilicet, sitim, virium defatigationem, passionem, dolores, ipsam denique mortem: illas quoque debilitates fragilitatesque initio subfisse, quæ infantilem ac puerilem ætatem consequuntur. Ut scilicet infantulus ac tenellus, vagitus & crepitaculis lacrymas dederit, e lingua ac fandi impotens balbutierit, fasciis colligatus in cunis jacuerit, lac non solidum cibum sumperit, de gerulæ collo pependit, stare pedibus nequiverit, ac tum gradiendo vacillaverit; aliaque id genus incommoda tulerit pro illius ætatis teneritudine & infirmitate. Mirum id eos nescisse, quod Theologi, quod Patres, de Christo infante ac puero constanter affirmant: illum nempe, omnibus licet scientiæ ac sapientiæ thesauris, ab ipsa sui conceptione prædite, tenerioris tamen ætatis impedimentis sponte libereque servientem, illos ipsos thesauros suo veluti sinu ad certum tempus continuisse: nec nisi procedentibus annis, præ ætatum modulo hominibus explicasse; nec experimentum scientiæ dedisse illico: sed ita se puerorum more gessisse in hominum oculis, ac si penitus ignorasset. Ut propterea de illo merito prænucciaverit Isaias Cap. 7. & 8. fore ut a prima ætate sua nesciret, seu non posset humano ore, vocare patrem suum & matrem suam: quæ prima pueri norunt; consuetoque monuerit Lucas Cap. 2. Puerum Jesum crevisse ætate & sapientia, coram Deo & hominibus. Quia procedente duntaxat ætate, infinita qua pollebat ab utero, sapientiæ argumenta atque indicia dedit, novisque in dies sapientiæ actus elicit; eoque titulo sapientior quotidie probabatur.

Ita hæc Theologi Principes, ita Patres; quos si Reprehensores nostri legissem, a præcipiti censura temperassent.

S. Thomas 3. parte quæst. 29. art. 1. ad 3.

Christus in sua infantia nec pati disposuerat, nec virtutem suam ostendere: sed in omnibus aliis infantibus se similes exhibebat. Et in 4. Sentent. dist. 1. quæst. 2. art. 2. quæstionibus 3. ad 1. Christus in pueritia in nullo ab aliis pueris segregatus fuit, quantum ad exteriorem conversationem.

Magister Sententiarum lib. 3. dist. 13. in fine, Christus patrem & matrem dicitur ignorasse in infantia; quia ita se habebat, & gerebat, ac si agnitionis ejus expertus.

Dionysius Petavius lib. 11. de Incarnatione Cap. 2. N. 9. Christus pro ætatum modulo, sapientia argumenta & indicia dedit: neque qualis natura jam & viri congruebat indoles, eam in infantili aut puerili habitu corporis expressit: ne non satis pro vero se se hominis generet, sed monstri instar & ostentus haberetur.

Natalis Alexander in Comment. ad Cap. 2. Lucae. Christus Puer ita se gessit, ac si agnitionis ejus expertus: & sapientia profecit secundum ostensionem, & aliorum hominum opinionem: ne si in puerili ætate perfectam sapientiam ostenderet, non ejusdem nobiscum nature, sed monstri similis videretur.

Theologis prætere Patres; Christumque ætate prima, communes infantium ac puerorum debilitates perferentem tradiderunt.

S. Leo Magnus Sermone 4. de Epiphania: Magi invenerunt puerum Jesum, quantitate parvum, alienæ opis indigentem, fandi impotentem, & in nullo ab humane infantia generalitate discretum. Serm. 9. de Nativitate Domini: Honorat in infantia sua Dominus, nec ad Deiatis referantur injuriam exordia & incrementa corpora: quoniam nature incommutabili nec addidit aliquid naturæ, nec minuit: sed qui in similitudinem carnis peccati dignatus est hominibus esse conformis, in unitate Deiatis Patri permanens æqualis. Et Sermone 10. Christum & primordia infantie, & incrementa corpora, & passionem usque ad crucem, mortemque condidit, non dissimilem cæteris mortalibus approbatur.

S. Cyrillus Alexand. in Dialogo de uno Christo: facile fuit Deo admirabilem quamdam infirmitatem, in assumpto homine sapientiam exhibere: sed hoc monstro simile futurum erat, & ab Incarnationis rationibus alienum. Quippe Mysterium ipsum tacite ac sine strepitu gerebatur. Itaque dispensatione quadam permittit, ut in se ipso humanitatis prescripta valerent.

S. Petrus Chrysologus Serm. 158. qui est de Epiphania: Christus sic mundum intrat, ut ventris experietur angustias, partus patiatur injurias, sustineat vincula pannorum, cunabula volent insecularia, lacrymis uberum nutrimenta disquirat, ætatum gradus necessitatesque perferat.

S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum Regem Cap. 16. Quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totus hominis in se passiones in veritate monstravit. Et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis anime, sine peccato & susceptis pertulit. Et Cap. 18. fuit verbum infans secundum carnem, & fandi non habuit facultatem: sed idem verbum Deus nunquam potuit contineri silentio. Et lib. 1. Cap. 7. Anima humana que rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque in infante Christo nescisse dicitur; que secundum Evangelicam veritatem in puero Jesu, sapientia & gratia profecisse narratur. . . . Nem sicut carnis est ætate proficere, sic est anime sapientia & gratia proficere.

Idem disertius docere Patres, dum aut Isaiæ vaticinium, aut Lucae dictum ex initio exposuerunt: Christumque scientiam ac sapientiam suam

suam non statim ab initio prodidisse, sed per ætatum gradus & intervalla hominibus explicasse, tradiderunt: adeo ut infans cæterorum more se gerens, rationis expertus videretur.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. quæ funebris est in S. Basilium: *Christus proficiebat ut ætate, ita sapientia & gratia: non quod incrementum ista caperent, sed quod hæc paulatim aperirentur ac se se proderent.*

S. Hieronymus in Jeremiam, ad illa verba Capitis 31. *femina circumdabit virum: Christus juxta incrementa ætatis per vagitus & infantiam, sapientia & ætate proficere videbatur.* Et in Cap. 7. *Itaque: Licet post multa sæcula, de eo Evangelista testetur, Puer autem proficiebat sapientia & ætate & gratia, apud Deum & homines: & hoc dicitur, ut veritas humani corporis approbetur: tamen adhuc pannis involutus, & butyro pastus & melle, habebit boni malique judicium, ut reprobanda mala, eligat bona: non tamen quod hæc (infans) fecerit, aut reprobarerit, vel elegerit: sed quod sciverit reprobare & eligere.*

S. Ambrosius lib. de Incarnatione Cap. 7. *Christi infantiam expertem agnitionis dicit; quæ quod adhuc non didicerat, (vocare scilicet patrem suum & matrem suam) ignorabat: Externa scilicet specie: quod ita se gereret infans, ac si agnitionis effectus expertus: ut Magister sententiarum exposuit lib. 3. dist. 13. sub finem.*

Theodoretus lib. 5. *Hæreticarum fabularum: Pro mensura ætatis corporæ, Divina natura propriam revelabat sapientiam.*

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Nestorium: *Quomodo profecisse dicitur Christus? Nimirum ut ego arbitror, quod Deus verbum, cum incremento & ætate corporis sui, divinarum bonorum significationem commensus fuerit.*

Beda Homilia Dominice primæ post Epiphaniam: *Juxta hominis naturam proficiebat sapientia: non quod ipse sapientiarum tempore fieret, qui a prima conceptionis hora, spiritu sapientie plenus erat: sed eandem, qua plenus erat, sapientiam, cæteris ex tempore paulatim demonstrabat. Juxta hominis naturam proficiebat gratia: non ipse quod non habebat, per accessum temporis accipiendo, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat apud Deum & homines.*

S. Bernardus Homilia 2. de Laudibus B. Virginis super missis est: *Puer Jesus sapientiam suam disponebat: & quando volebat, sapiens apparebat, & quibus volebat: quando & quibus volebat, sapientior: quando & quibus volebat, sapientissimus: quamquam in se nunquam esset, nisi sapientissimus.*

Quæ omnia Patrum dicta si novissent Representores nostri, nusquam censoria virga notassent, quæ de Christo puero a nobis fuerant adnotata: illum cæterorum quoque puerorum more se gessisse, communisque illorum fragilitates habuisse: atque ita potuisse parvones ejus existimare, voluisse illum, cæterorum quoque puerorum more, vel a via deflectere, vel Jerusalem, alia de causa subsistere. Nec Augustini dictum lib. 2. de Peccatorum meritis Cap. 29. nobis obicerent: *Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in Infante illo, in quo verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: nec ullam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. Quasi vero laudatis Patribus contrarius sit Augustinus: & ignorantiam aliamve animi infirmitatem in Christo etiam puero voluerit illi, nosque ipsi velimus. Absit. Sed scientiam illam suam, in ætate puerili, nondum manifestasse contendunt, antequam in doctorum congressum venisset: ceteraque pro ætatis fragilitate infirmitates persequisse;*

idque non necessitate, sed libera voluntate. Nunc pergamus ad reliqua.

VI. Majorem forte in omnium vestrum animis curiositatem excitabit altera quæstio, de Christi vitæ ratione, & instituto ad tempus usque suscepti Baptismatis: quod nihil ea de re legitur in Evangelio, sed divinandum potius relinquatur. Sexcentas ea de re fabulas, ac nenas congegit antiquus Auctor Hæreticus libri de infantia Salvatoris; quem idcirco Gelafius Pontifex in Concilio Romano proscriptit. Non pauca quoque commenta de Christo infante, Scholas ad litteras addiscendas frequentant, fabulati sunt Valentini, quos acriter refellunt S. Irenæus lib. 1. adversus Hæreses Cap. 17. & S. Augustinus Tract. 29. in Joannem: Imo quos in hac parte in antecessum falsi convicit Evangelium Joannis 7. ubi Judæi de Christo dixisse referuntur: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Non itaque ad litteras perdiscendas Scholas frequentaverat. Ejusdem pueri Jesu miracula non pauca iactabant, jam a tertio Christiani nominis sæculo, nonnulli nebulones, quos dure exagitat S. Joannes Chrysofomus Homil. 16. in Joannem, cujus hæc verba sunt: *Constat, signa illa, & miracula, quæ in Christi pueritia feruntur, vera non esse. Nam si a puero miracula facere cepisset, non sane eum Joannes ignorasset; nec reliqua multitudo indignis Magistro, qui ipsum manifestaret. Nunc autem, inquit Joannes, propter hoc veni, ut manifestetur in Israel. Quare, iis omnibus ablegatis vigilantium hominum somniis, alii paulo mitius, ac religiosius de pristina illa Christi vitæ ratione, & instituto fenserunt; qui eum toto illo temporis tractu, ad annum usque trigefimum, in secessu, secretoque loco solitariam vitam duxisse volunt, & continuæ orationi, contemplationi, ac etiam jejuniis vacasse. Ita Paulus Brugenis ad Cap. 6. Marci, Barradius in Cap. 2. Luca, Simon de Cassia lib. 4. de vita Christi Cap. 2. Verum quamquam id ex parte verum esse non negem; Christumque plurimam privatæ vitæ partem contemplationi, & orationi dedisse non dubitem; difficulter tamen adducor, ut credam, eum socialem vitam nusquam egisse, artemque aliquam mechanicam non exercuisse: tum ut in ea exercenda patri subditus esset; tum ut honesta industria, & suæ, & parentum inopiæ succurreret; tum ut humilitatis, ac modestiæ præberet exemplum; tum deum ad fugam otii.*

Id ut asseram, cogit me vel invitum Sacrarum Scripturarum, & veterum Patrum auctoritas; unde illum fabrillem artem interdum saltem exercuisse, certissime colligo. Et quidem Judæi, apud quos Christus versabatur, quique externum illius vitæ institutum ignorare non poterant, non modo *Fabri filium*, sed & *Fabrum* vocitabant, Marci 6. *Nonne hic est Faber?* Ob id dubio procul, quod illum una cum Josepho patre fabricantem sæpe vidissent. Quocirca D. Augustinus lib. 2. de Consensu Evang. Cap. 42. *Nec mirandum est, inquit, quod id Judæi dicerent, cum utrumque dici poterit; eo enim & Fabrum credebant, quo Fabri filium.* Fabrillem etiam artem ab ipso Christo Domino exercitam dicit S. Joannes Chrysofomus Homil. 30. in Cap. 13. Matthæi, S. Basilii in Asceticis. S. Thomas in Cap. 13. Matthæi. ut plane ea de re dubium moveri non possit.

Quia tamen *Fabri* nomen artis, non speciem sonat; Faber quippe dicitur quicumque fabricatur; imo quisquis in quacumque materia secanda, polienda, dolanda, aptanda laborat; quæri idcirco potest: quam speciatim coluerit artem fabrillem? Certe quandoquidem veterum Patrum aucto-

auctoritati tenaciter adhaerendum, Puto Christum una cum Josepho patre Fabrum lignarium; & quidem Carrucarium visse, non dubito. Id quippe conceptissimis verbis habet S. Justinus Martyr, laudaris Patribus longe antiquior; quippe qui secundo Christiani nominis sæculo floruit, in Dialogo cum Tryphone Judæo; Christum lignarium artem exercuisse asserens, atque illam maxime, *quæ aratra fabricatur, & juga*, quam carrucariam hodie nuncupamus. Divo Justino etiam subscribit S. Ambrosius lib. 3. in Lucam.

VII. Haud me fugit, Patres aliquos, ac maxime D. Hilarium ad Cap. 14. Matth. Bedam in Cap. 6. Marci, & S. Petrum Chysofologum Serm. 48. *Fabrum ferrarium* dixisse. At nemo non videt, in ea opinione diffensione, S. Justini Martyris, utpote omnium antiquissimi, opinionem prævalere, cui & alia certa monumenta suffragantur. Nota quippe est illa pii cujusdam, ac religiosi Ludimagistri responsio, Libanio Ethnico, & Juliano Imperatoris Apostatæ intimo familiari olim data, quam referunt Theodoretus lib. 3. Hist. Cap. 18. & Sozomenus lib. 6. Hist. Cap. 23. Cum scilicet per derisum quæsisset Libanius: *Quid agit Fabri filius? Christum intelligens, & irridentis Respondit Ludimagister: Juliano tuo ferrarium fabricatur.* Quod certe probavit eventus: nam paulo post sagitta ictus Julianus interiit, ac feretro in tumulum delatus est. Utcumque tamen se res habeat, seu lignarii, seu ferrarii fabri fuerint Christus, & Joseph, perinde nobis est, qui fabrillem artem a Christo simpliciter exercitam dicimus, ut ex honesto, & innocenti artificio, & sibi, & parentibus vitæ necessaria compararet.

VIII. Quare ii mihi ridendi veniunt, qui Christum non artificio, sed quotidiana mendicatione, & corrogata ostiant itipe viciatasse commenti sunt. Quæ quidem Michaelis Cæsena, Guillelmi Ochami, aliorumque Minoritarum commenta, Joannes XXII. Rom. Pont. anno 1323. damnavit, Extravagantibus ad Conditorum &c. Cum inter nonnullos &c. *Quia quorundam &c.* Et vero, si eum mendicitatis statum amplexus esset Christus ante Baptismum, post Baptismum utique tenuisset, ad vitæ necessariam comparanda: non retinuisse autem, compertum est ex Evangelio Joannis Cap. 4. ubi Christi Discipulos in Civitatem ivisse legimus, *ut cibos emerent.* Et ex Cap. 13. ubi Christum Judæ loculos habenti justissime legimus, *ut egenis aliquid daret.* Neque tamen diffiteor ego, pauperem vitam duxisse illum, quod multa Evangelii loca fati indicant: imo & ipsum aliquando mendicasse, quod asserit Doctor Angelicus, Opusculo contra impugnantem religionem Cap. 7. petiturque ex sacris Litteris: Psal. 39. *Ego autem mendicium sum & pauper.* Psal. 108. *Persecutus est hominem inopem & mendicium.* Quæ de Christo Domino dicta interpretantur, Paulus ad Hebræos 9. & Petrus Actorum 1. uti & Apostoli tunc saltem mendicasse perhibentur, dum sine saculo & sine pera sunt missi, Luc. 22. Verum aliud longe est paupertas, aliud mendicitas: aliudque rursus est mendicitas ex status, & vitæ conditione, aliud mendicatio ex occasione dumtaxat, & in exercitium humilitatis, qualis fuit in Christo Domino & Apostolis. Quid etiam, quod Christum aliquid in commune cum Apostolis habuisse, definit Joannes XXII. in citatis Extravagantibus; idque paupertatis perfectioni nequaquam officere? Quo extremo judicio censendus est revocasse Caput Exiit, De verborum significatione in Sexto: quod Nicolai III. contrarium asserentes dederunt erat. Quæ de re legendus Oedericus Raynaldus in Annalibus ad annum 1323. Quid tandem, quod Christi Virgo

Mater, honesto pariter artificio, & sibi, & filio vitæ necessaria compararet, non secus ac Joseph; quæ idcirco *quæstuaria*, hoc est, artem ad quæstum exercens dicitur a Tertulliano, lib. de spect. & a D. Hieronymo Epist. 1. ad Heliod. etsi quam specialiter artem coleret, non perinde consentiant Ecclesiæ Patres. Lanariam enim scribit Anselmus; *industriam* Epiphanius; *texturicem*, ex lana scilicet, lino, serico, & bisso Hieronymus, & Venerabilis Beda. Parentibus porro honestam artem exercentibus, filium isdem conviventem, victum mendicatio solito quæsisse, non est admodum verisimile.

IX. De vitæ severitate, in victu, & vestitu, rebusque aliis, ad corporis castigationem pertinentibus, idem proportione quadam definierim: mendicitatem scilicet tenuisse Christum; ut nihil, aut certe parum, a communi hominum usu, rationeque deflecteret. Nec possum illis non indignari, qui vitæ sanctitatem, perfectionemque ex austeritate pensantes; Christo injuriam irrogant putant, nisi illum, Joannis in morem, veste pilis camelorum contexta indutum, locustis melleque sylvestri pastum dixerint, aut simile quidpiam. Non est ita profecto, non est ita: sed in his servata a Christo mendicitas est; retentus exterior communis vivendi modus; qualis religiosus Mosaicæ Legis observatoribus erat in usu: quod ita publicum illius ministerium postularet.

Ac de cibo quidem & potu, ita Patres communiter statuunt, atque ex ipsis Christi Domini verbis colligunt, Matth. 11. dicens: *venit Joannes non manducans, neque bibens; & dicitur demonium habere: venit filius hominis manducans & bibens; & dicitur, ecce homo vorax, & potator vini.* Ita D. Joannes Chrysofomus Homil. 38. in Matthæum: *Illam arctam vivendi viam Joanni omnino dimisit; ipse vero publicanorum atque peccatorum mensas elegit, ut publicanus & peccatores salvaret.* Ita D. Irenæus lib. 4. adversus Hæreses Cap. 51. *Christus ita cum hominibus conversatus est, ut eorum communibus cibis uteretur, & vinum biberet.* Latius vero D. Augustinus lib. 16. contra Faustum Manichæum Cap. 31. Joannis & Christi ciborum differentiam observans, illos quidem Sylvestres, istos communes atque vulgares fuisse significat. Joannis, inquit, *escam & potum novissimus.* Non enim dictum est, quod omnino non biberet; sed quod vinum & siceram non biberet: bibeat ergo aquam. Cibus autem ejus non omnino nullus erat, sed locuste & mel sylvestre. Unde ergo dictum est, non manducans neque bibens; nisi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ille non utebatur? Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non, in ejus comparatione, manducans bibensque diceretur. Communibus itaque Judæorum cibis Christus Dominus vescēbatur: qui tam sæpe communem cum illis mensam habebat. Quod utique ex ratione publici ministerii fuisse, docet Doctor Angelicus, 3. part. quæst. 40. art. 2. *Congruum erat Incarnationis fini, ut Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur.* Qui autem cum hominibus conversatur, convenientissimum est, ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli I. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum.* Et ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo & potu, communiter se sicut alii haberet.

De vestitu autem, ex Evangelio perinde liquet, vulgari Christum Domini veste fuisse usum, (qualis apud Judæos erat in usu) & ad modestiam composita: eaque non una, & simplici, sed varia; intima scilicet & extima, ut decenter & integre vestiretur. Surgens enim a cœna, ad locutionis officium, posuit vestimenta sua, Joan. 13. non omnia sane, sed extima dumtaxat, retentis inti-

intimis; cum nudum id operis facere non de-
ret. Illo etiam cruci affixo, Milites vestimenta
ejus aliqua inter sese partiti sunt, ac super ejus
tunicam inconfutibilem, fortem miserunt. Plura
itaque vestimenta illi erant; eaque non omnino
vilia, ac detrita: alias Milites, de illis inter se
partiendis, haud ita solliciti fuissent. Qua tamen
in re, contra consilium Apostolis datum, Mat-
thæi 10. *neque duas tunicas*, nihil egisse putandus
est Christus Dominus. Id enim de duabus, aut
etiam pluribus diversarum rationum vestibus, quæ
unum veluti integrum indumentum constituunt,
non est dictum: sed de mutatoris ejusdem ratio-
nis vestibus, tamquam superfluis, consilium Apo-
stolis datum est: quod & ab ipso non dubitaverim
observatum.

X. De calceamentis, quod indumenti genus est,
regendis muniendisque pedibus destinatum, idem
perinde eademque ratione statuerim: iis scilicet
usum Christum Dominum, quæ apud Judæos in
usu essent: qualiacumque tandem illa forent: seu
sandalia illa velis, quæ plantas pedum simpliciter
muniunt, ne gradiendo offendantur; seu forte cal-
ceos malis, pedem integrum obtegentes ac mu-
nientes. Nec unquam adducar ut credam, Chri-
stum præter Judæorum morem, omnino nudipedem
incedisse, qui pro illius gentis more indu-
ebatur. Maxime cum de illo Joannes Baptista di-
ceret, Matth. 3. v. 11. *Non sum dignus ejus cal-
ceamenta portare*: seu ut Marcus & Lucas habent:
*Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum
ejus*. Quamquam enim ea loquendi formula in
proverbium cessisset, ad publicam venerationis &
reverentiam testificationem; non nisi imprudenter,
ac per derisum, in eo commendando, usurpata
fuisset, qui calceamentis non esset usus. Unde
Augustinus Sermone 42. de Sanctis: *De iis cal-
ceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me
idem Dominus meus. Si enim ipse calceatus non es-
set, non de illo Joannes diceret: non sum dignus
solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Christi san-
dalia, non ineunte sæculo, in Ecclesia Raven-
nateni fuisse servata necesse est. Agnellus quippe
in vita S. Martini Ravennatenis Archiepiscopi
de Stephano V. illic tunc agente scribit: *Celebra-
vit Romanus Antistes Missas in Ecclesia Ursiana,
et ostendit sandalia Salvatoris, que omnis popu-
lus vidit*. Et Anastasius in Nicolao I. Romano
Pontifice tradit, Joannem Archiepiscopum Raven-
natensem, cum ad bonam frugem venisset, *Cautiones
et scripturas super vivificam Crucem Domini
nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, pos-
uisse*.

Nec est quod mihi quisquam objiciat: Chri-
stum nusquam id esse facturum, quod suis vetabat
Apostolis: Ne scilicet *calceamenta deserrent*, Mat-
thæi & Lucæ 10. Quis enim nesciat, moralis &
mythica significationis præceptum illud fuisse: ut
ab operibus mortuis abstinerent Apostoli, nimiam-
que rerum superfluarum curam, sollicitudinemque
deponerent: non ut necessario illo pedum indu-
mento carerent: ut explicant, D. Augustinus ser-
mone 42. supra laudato, & lib. 2. de Consensu
Evangelistarum Cap. 30. & D. Hieronymus Epist.
24. Cum præsertim hos ipsos Apostolos, quos
Dominici mandati violatores suspicari nefas esset,
sandalis calceatos legamus, Marci Cap. 6. v. 9. &
Petrum caligas suas, seu, ut textus græcus habet,
sandalia sua calceare jussim, Actorum 12. v. 8.
Quid, quod Apostolus, altero mystico & morali
sensu, fideles monet, ad Ephesios 6. v. 16. ut pro-
cedant *calceati pedes, in preparatione Evangelii pa-
cis*? Nempe ut spiritualibus induti calceis, ser-
vare nimirum & zelo, libere, intrepide, ac sine ul-
la offensione sacrum ministerium obeant.

Futurus multo reposueris: Evangeliorum Scri-
ptores, Christum vestibus nudatum narrantes, an-
tequam Crucis affigeretur, sacrumque vestium ejus
inter Milites partitionem memorantes, nihil de
calceis, aut sandaliis insinuasse. Quasi vero, ve-
stimentorum nomine, non ipsa quoque calceamen-
ta censeantur? Nisi forte ita detrita fuerint, ut
iis Milites non curarint.

Sed ais: Maria Magdalena, Christi in domo
Simonis prandio excepti pedes lavit; rigavit la-
crymis, capillis terxit, Lucæ Cap. 7. quod ab ea
non potuit commode fieri, nisi is nudatis pedibus
esset. Imo, inquit ego, potuit maxime, quod-
vis ille calceamenti genus induere solitus esset. Si
enim sandalia pro more induerit, cum hæc non
totum pedem obtegerent, sed superiorem ejus par-
tem nudatam relinquerent, pio religiose mulieris
officio obeundo nihil oberant. Si vero calceos,
pedem integrum obtegentes ac muniientes, ex mo-
re patrie deserebat: nihil quoque, ad mensam re-
cumbente tunc Domino, impedimento erant. Quia
Judæis, in tricliniis ad mensam accubentibus,
in more quoque positum erat, ut excalceati dis-
cumberent: ne forte calceamentorum sordibus,
pretiosa lectulorum mensalium stramina inquinarent.
Unde Exodi 12. v. 11. Judæis mandatum
legimus, ut agnum manducaturi, *calceamenta ha-
berent in pedibus*: quod utique frustra præceptum
illis esset, nisi excalceati manducare soliti fuisset.

XI. Ex memoratis Christi vestibus, celeberrima
semper est habita Tunica inconfutibilis, cujus
distincte meminit Evangelium; quæ post interu-
lam (si ea tamen Dominus utebatur) corpori
proxime adharebat, totumque tegebatur. De hac
mirum quam fuerint multa confecta. Hanc Jesu
puerulo Cælo demissam, illoque crescente crescentem
cecinerunt nonnulli, ut est apud Goffridum Vit-
tærbiensem in Chronico:

Mittitur e Cælis puero dignissima vestis.

Hanc Pater e Cælis misit, non femina nevit.

Longa brevisque fuit, puero crescentemque crevit.

Alii frequentius a Deipara Virgine consecram
malunt, parique portento cum Christo crescente cre-
visse, ex Euthymio in Caput Matthæi 27. evin-
cere fatagunt. Temere tamen & imprudenter:
Cum is nec aptatum primitus puero vestem di-
cat, nec per ejus ætatem crevisse vel leviter in-
nuat. Quare divinare pro arbitrio singuli convin-
cuntur.

EXERCITATIO XLV.

De Christi Baptismate.

I. **Q**Uæ causæ Christum Dominum, ad Joan-
nis Baptista suscipiendum impulerint,
percenfere, non ita forte difficile fuerit.
Has magna ex parte nobis indignant S. Hiero-
nymus, S. Gregorius Nazianzenus, Venerabilis
Beda, & Doctor Anglicus. 1. Quia homo cum
esset, omnem justitiam, seu legis obligationem im-
plere debuit. 2. Ut Joannis Baptista comproba-
ret, eique auctoritatem conciliaret. 3. Ut Jorda-
nis aquas mundissimæ suæ carnis contactu sancti-
ficans, iisdem subinde regenerandi virtutem largi-
retur. 4. Ut peccata nostra, quæ tamquam publi-
cus sponfor in se susceperat, in eo Baptismo pen-
nitentiæ immergeret. 5. Ut in tanto illo, qui ad
Joannem sebat, Judæorum concursu, solemne il-
lud Æterni Patris testimonium acciperet, ad fa-
crum prædicationis officium, plena & integra au-
thoritate suscipiendum.

II. Verum difficultus longe fuerit, hujusce a
Christo Domino suscepti Baptismatis circumstan-
tias

explicare, in Evangelio recensitas, quæ am-
plam Ecclesiæ Patribus, Sacrificis Interpretibus
disputandi materiam præbuerunt: ut plus in ex-
plicandis adjunctis, quam in enodando Mytherio
ipso, operis & laboris impenderint. Nos pro mo-
dulo nostro de singulis dicemus ex ordine. Ac pri-
mum quidem de tempore, & loco suscepti a
Christo Baptismatis: tum de prodigiis Baptismum
secutis, de Cælo nimirum aperto, de Spiritu S.
in Christum illapsu, sub specie Columbæ, ac de
audita paterna voce, Jesum dilectum sibi filium
pronunciante.

III. Tempus, seu ut pressius dicam, annum
suscepti a Christo Baptismatis duplicem distin-
guimus, de quo perinde acriter disputatur: an-
num scilicet sæculi, & annum vitæ Christi. De
utroque enim æquo queritur: & quo anno
sæculi Christus in Jordane sit tinctus? Et quem
ipsem vitæ suæ annum ageret, quo tempore tin-
ctus est?

De primo nihil certi statui posse, fidenter pro-
nuncio, quamquam perique Scriptores in ea eno-
danda quæstione paginas impleant, & in varias
sententias dilabuntur. Quæ enim probatio peti so-
let ex Cap. 3. Lucæ, ut Christus anno 15. Im-
perii Tiberii Cæsaris baptizatus ostendatur, fluxa
proflus est, & elumbis. Quamquam enim Joan-
nes Baptistam prædicationis officium suscepisse
testetur Lucas, anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris,
provocante Pontio Pilato Judæam; nullo tamen ver-
bo significat, hoc ipso anno Tiberii, aut forte
sequenti, Christum ad Joannis Baptismum susci-
piendum accessisse. Equis vero id certo definiat?
Maxime cum non accesserit Christus, antequam
Joannes plebem illi perfectam præparasset: qua in
re pericienda, quot annos infuisset, ignoratur,
cum nuspam scriptum legatur.

Ad hæc etiam, quis mihi certo definiat, de
quo Tiberii Imperio loquatur Lucas; quævis in
illius annis computandis rationem sequatur, dum
ait, Joannem ministerium suum fuisse auspiciatum
anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris? Duplex enim
Tiberii Imperium de more distinguitur: alterum
Augustale, ut vocant; quod nimirum exordium
duxit ab ipsa Augusti morte, dum solus Tiberius
Imperii habenas moderari cepit: alterum Procon-
sulare, quod diu ante exordium habuit; dum
scilicet, ex lege per Consules lata, Provincias
cum Augusto communiter cepit administrare, ut
scribit Suetonius in Tiberio Cap. 28. Sed & hoc
ipsum Proconsulare Imperium Tiberii Cæsaris,
quod diu ante Augusti mortem cepisse liquet,
quo tamen distincte anno cœperit, ignoratur:
alii nempe biennio ante Augusti mortem, aliis
triennio, aliis quadriennio, illius initium repe-
rentibus. Nullo itaque certo calculo defini
potest, quo præcise sæculi anno, Christus Dominus
fuerit baptizatus.

IV. Quo autem vitæ suæ anno tinctus sit, et-
si nonnihil explicatis in Evangelio legi contin-
gat, unde illum anno circiter trigesimo vitæ suæ,
baptizatum esse colligi videatur: nempe quod ait
Lucas Cap. 3. *Ipse Jesus erat incipiens quasi anno-
rum triginta*: tam multos tamen nodos in hoc
serpente querunt Critici recitantes, ac veteres, ut
quem præcise annum Lucas notare voluerit, ne-
sciamus: num trigessimum ipsum; an inchoatum
illum, an expletum; an trigessimum primum, &
ultra; an vigessimum nonum, & infra.

Et quidem, si quis verba Evangelii simpliciter
legerit, *Jesus* (dum baptizatus est) *erat incipiens
quasi annorum triginta*, facile sibi persuadeat; Je-
sum annum quasi trigessimum incepisse: adeoque cum,
vel trigessimum annum inchoasse tunc, quod parti-
cipium illud *incipiens* soperare videtur: aut certe

Serry Tom. III.

ad incipiendum annum trigessimum prope accessis-
se: quod particula *quasi*, imminuendi vim ha-
bens, aperte significat. Adeoque Christum ad fi-
nem anni vigesimi noni pervenisse: tunc enim ad
inchoandum trigessimum prope acceditur. Ve-
rum hæc ipsa duo vocabula *incipiens*, & *quasi*,
e quibus tota pendet vis probationis allata ex
Evangelio, facile enervantur, ne quid inde possit
extundi.

Imprimis enim Patres bene multi, atque in iis
maxime Origenes homilia 28. in Mattheum, S.
Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, S. Ju-
stinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo,
Euthymius in Commentariis in Lucam, partici-
pium illud *incipiens*, ab annis vitæ Christi omni-
no sejungunt, ac de publico prædicationis Evan-
gelicæ ministerio, quod tunc Christus incepit,
proflus intelligunt: ut sit sensus, Christum inci-
pientem publicum ministerium, *fuisse quasi anno-
rum triginta*. Cui Patrum interpretationi nonnulli
favent Scripturæ loca, in quibus, eadem usur-
pata loquendi formula, Christus a Baptismate
Joannis nude, ac simpliciter dicitur incepisse,
subintelligendo publicum ministerium. Actorum
Cap. 1. *Omne tempore, quo intravit, & exivit ad
nos Dominus Jesus, incipiens a Baptismate Joannis*.
Et Cap. 10. *Incipiens a Galilæa post Baptisma,
quod prædicavit Joannes*. Nutat igitur ex hac par-
te vis probationis, ex hoc celebri Evangelii loco
petitæ.

Nutat & ex altera parte: quia particula *quasi*,
quæ sola jam in adducta probatione vim facit,
non semper significati vim imminuit: ut Joannis
Cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeni-
ti a Patre*. Imo particula hæc præposita nume-
ro, non semper denotat, aliquid deesse de nume-
ro. Sic Matthæi Cap. 15. *quatuor millia virorum
manducasse referuntur*; qui tamen Marci 8. di-
cuntur *quasi quatuor millia*. Imo quandoque parti-
cula illa præposita numero importat augmentum.
Nam Exodi 12. dicuntur *quasi sexcenta mil-
lia virorum* in exitu Israelis de Ægypto: qui ta-
men Numerorum Cap. 1. dicuntur *sexcenta tria
millia, quingenti quinquaginta*. Quidam itaque Chri-
stus annorum *quasi triginta* dici posset, non modo
si totos triginta annos completos haberet; verum
etiam si triginta, & unum, aut etiam triginta
duos numerasset? Particula quippe *quasi* idem quod
circiter sonat in laudatis exemplis; ut numerum
perinde possit augere, atque minuere. Dubia ita-
que relinquatur ætas Christi, ad Joannis Baptis-
mum accedentis, si solum Evangelium consula-
mus Lucæ Cap. 3.

Dubium ea de re longe majus enascitur, si Pa-
tres consulere lubeat: utpote qui in varias hinc
inde opiniones abeunt, quas secum conciliare im-
possibile sit. Nonnulli enim Christum baptizatum
existimant initio trigesimali anni, cum scilicet vi-
gesimum nonum explevisset, & trigessimum pau-
cis diebus attigisset: ut Origenes homilia 21. in
Ezechielem, & Hieronymus ad Cap. 1. Ezechie-
lis. Alii baptizatum asserunt prope anni trigesi-
mi finem: ut S. Irenæus lib. 2. adversus Hæreses
Cap. 39. & S. Epiphanius Hæresi 51. Alii bap-
tizatum volunt post expletum trigessimum annum:
ut S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos, S.
Joannes Chryostomus homil. 10. in Mattheum,
Venerabilis Beda lib. de ratione temporum Cap.
45. Nihil itaque in tanto opinionum conflictu,
certo definii potest: sed hoc unum ut sum-
me dicendum, Christum anno plus minus vitæ
suæ trigesimo, a Joanne in Jordane tinctum
esse.

V. De die ipsa suscepti Baptismatis multo fi-
dentius pronunciaverim. Uno enim excepto Di-

vo Epiphania, qui Hæresi 51. Christum die 6. Novembris baptizatum dixit; in id consentiunt universi, ut die 5. aut 6. Januarii fuerit baptizatus: qua die etiam Ecclesia Catholica a primis faculis Theophaniam solita est celebrare: seu triplicem Christi manifestationem, Gentilibus, Judæis, & Discipulis factam; Gentilibus, inquam, Magorum adoratione; Judæis, Divina Patris voce Filium esse vultum, statim post Baptisma susceptum; Discipulis, primo in nuptiis Canæ patrato miraculo. Quamquam enim non perinde certo statuerint universi, Magorum adorationem, Nuptiasque Canæ, die quoque Januarii sexta contigisse, qua illas perinde cum Christi Baptismate celebrabant; de Baptismate tamen die, mira semper veteris Ecclesie consensio fuit, in quintam aut sextam Januarii incidisse. Sola impedimento videtur esse durior, & asperior anni tempestas, ne tunc solemne Baptisma per immersionem, quale tunc erat in usu, conferretur. At neminem ratio illa permovet, qui Judææ regionem temperatissimam, hiememque clementissimam fuisse animadvertit. Atque hæc de circumstantiâ temporis dicta satis. Nunc de loco dicendum.

VI. Locum suscepti a Christo Baptismatis peculiarem, atque distinctum notat Joannes Cap. 1. Evangelii, inquit: *Hæc facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes Baptizans*. At & hinc quoque ingens oritur difficultas; propterea quod Bethania, quæ Marthæ & Magdalene Castellum erat, non trans Jordanem, sed cis Jordanem sita esset, juxta Jerosolyamam stadiis fere quindecim, ut legitur Joannis Cap. 11. v. 18. Unde & præfati Ecclesie Patres, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, relicta Versionis vulgatae lectione, legunt in *Bethabara*, quæ Civitas trans Jordanem est, ad quam primo venientes Hebræi ex Ægypto, flumen trajecere Ductore Josue. Quare horum alterum, ad nodi hujusce solutionem statuendum: aut mendum aliquod, Scribarum oscitantiam, in vulgatam Versionem irrepisse, & *Bethaniam* pro *Bethabara* positam fuisse, quod nonnulli Recentiores existimant: aut certe ultra Castellum Marthæ, & Magdalene, cui Bethania nomen erat, alteram etiam trans Jordanem Bethaniam fuisse sitam, quæ perinde Bethabara diceretur. Ita D. Thomas in Commentariis ad Caput 1. Joannis lect. 14. Utroque autem nomine, & Bethaniam, & Bethabaram locum illum nuncupatum crediderim, eo quod solitus illic Jordanis tractus esset, paratæque illic semper adessent naviculæ, quibus viatores flumen trajicerent. *Bethania* enim Hebraice sonat locus navis; *Bethabara* locus transitus. Quare una ferme, eademque utrique voci subjecta vis est.

VII. Explicatis nunc circumstantiis loci, & temporis, Christi Domini Baptisma comitantibus, ad prodigia Baptismum secuta explicanda animus, vocemque convertimus. Cæli scilicet apertionem, Spiritus Sancti illapsum sub specie columbæ, paternam vocem Christum dilectum sibi Filium denunciantem.

Prodigia, dixi, Baptisma secuta, non in ipso Baptismo patrata. Satis enim Pictoribus nostris indignari non possum, qui Christum simul Baptisma suscipientem, Cælum apertum, illabentem Spiritum Sanctum, Patrem demum Christo testimonium perhibentem representant; quasi uno eodemque tempore peracta sint omnia. Quod perinde Agridentis Abbatis commenta est. Non est ita profecto, non est ita: sed profecto Baptisma, Christo ex aquis Jordanis emerso, ac fundente orationem prodigia ista patrata sunt. Mat-

thæi Cap. 3. *Baptizatus autem Jesus confessim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei Cæli &c.*, Lucæ Cap. 3. *Jesus baptizatus, & orante, apertum est Cælum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*. Imo & id a Patribus consulto est observatum, non quo tempore baptizaretur Christus a Joanne, sed quo tempore post Baptisma susceptum oraret, prodigia illa patrata esse; ne Baptismati Joannis, sed Christi Domini orationi tribuerentur. Quare ea Pictorum licentia cum altera perinde castiganda venit, qua Christum aquæ infusione baptizatum representant, Joannemque testam, seu concha aquam super caput ejus, & humeros effundentem nobis effingunt. Ignorant scilicet, quod nemo nescit, vel medio-criter in Historia Sacra versatus; Baptismo per infusionem, non modo Judæis, sed & Christianis ipsis, prioribus Ecclesie sæculis fuisse penitus inauditum. Per immersionem ergo, non per infusionem tinctus est Christus, uti & ceteri omnes, qui a Joanne Baptista in Jordane lustrati sunt.

VIII. Sed ad rem ipsam veniamus. *Jesus baptizatus, & orante apertum est Cælum*, inquit Lucas Cap. 3. Quod utique non ita accipiendum venit, quasi soliditas ipsa Cælorum disrupta, discissaque fuerit; aut fluidæ illorum materia soluta continuitas: hoc enim & naturaliter est impossibile, & supernaturaliter est superfluum. Nec ita ex opposito accipiendum est, quasi sola imaginatione aperiri visi sint Cæli, ut olim Ezechielis legimus contigisse Cap. 1. Prophetie ejus: sed aperti Cæli sunt dicti, quod in supremæ aeris regione sensibus ipsis perceptus sit quidam hiatus, ex quo columba in Christum dilabi cerneretur; voxque Patris & Cælo velut erumpens inaudiretur. Supremam enim aeris regionem Cæli nomine sapius designari Sacris in Literis notius est, quam ut multis ostendere necesse sit. Rem totam sic explicat D. Thomas 3. par. quæst. 39. art. 5.

IX. Addit facer Evangelista. *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum*. Vera ne Columba illa fuerit, autem species, & similitudo Columbæ, acriter a Theologis, & Interpretibus disputatur. Si quid ego in Scripturis, & Patribus valeo, speciem tantum, five formam Columbæ ab Angelo efformatam, agitaram, & motam, ut in Christum descenderet, non dubitaverim affirmare; non verum, propriumque secundum naturam animal. Id enim indicant Evangelista: *Matthæus sicut Columbam* ait Cap. 3. *Marcus tanquam Columbam* Cap. 1. *Lucas corporali specie sicut Columba* Cap. 3. *Joannes quasi Columbam* Cap. 1. Quæ sane loquendi formula, ita a quatuor Evangelii Scripturibus religiose servatæ, uti speciem, & similitudinem indicant verius, quam rem ipsam. Idem & Patres insinuant, Tertullianus lib. de Baptismo Cap. 8. (Quamquam aliter lib. de carne Christi Cap. 4. statuere visus sit.) S. Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone Iudæo, S. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses Cap. 62. S. Chrysost. homil. 4. in Acta. S. Hilarius Can. 2. in Matthæum, S. Augustinus lib. 2. de Trinitate Cap. 5. S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis Cap. 5. Suadet hoc idem ratio Theologica. Nec enim vera Columba opus hic erat, sed sola similitudine, ad symbolicam significationem; ut scilicet per speciem, & symbolum Columbæ, designarentur Spiritus Sancti virtutes, & Christi doctes: Deus autem miracula absque necessitate non patrat, quemadmodum & natura nihil frustra operatur.

Neque huic nostræ sententiæ repugnare censendus est D. Augustinus, lib. de Agone Christiano, imo potius suffragari, dum ait: *Deo non suffi-*

se difficile, verum corpus Columbe, sine aliarum Columbarum ministerio figurare, sicut non fuit difficile, verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare. Qui enim verum Columbæ corpus a Deo dumtaxat figuratum asserit, non formatum, aut fabricatum, solum profecto corporis figuram agnoscit, non veritatem. Nec idcirco Deus hominibus illud fuit putandus est, dum Columbæ speciem, non veritatem illis exhibuit: uti nec illis illud tot aliis in occasionibus, in quibus ex omnium opinione, nuda illis simulacra dumtaxat exhibuit: quia hæc ad solam symbolicam significationem illis exhibuit, non ut vera, & naturalia ab hominibus haberentur. Illud porro conspicue mortalium oculis Columbæ simulacrum, in nihilum tandem redactum docet Tertullianus lib. de Carne Christi Cap. 4. *Sed quis, inquit, Corpus Columbe ubi sit, resumpto Spiritu in Cælum? Æque & Angelorum, & eadem ratione interceptura est, qua & editum fuerat. Si vidisses, cum de nibilo proferebatur, scripsisses cum in nihilum subducebatur. Si non sua initium visibile, nec finis.*

X. Sequitur in Evangelica narratione: *Et vox de Cælo facta est; Tu es Filius meus dilectus, in te complacui tibi*. Vocem hanc Angelorum ministerio in persona Patris efformatam asserunt Ecclesie Patres; maxime vero Victor Antiochenus in Caput 3. Matthæi. Hæc Columbæ symbolum explicavit; atque ad solam Jesum, cui soli Columba infidebat, non ad Joannem, aut quemvis alium designandum directæ est. Quod certe necessarium maxime fuit, ut solus Jesus, non itidem Joannes Christus esse crederetur. In hanc etenim falsam de Joanne opinionem Judæi facile propendebant, ut ait Lucas Cap. 3. *Existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis, ne forte ipse esset Christus*. Tanta enim virtutis Joannes erat, ut plus illi laborandum fuerit, ut ne Christus crederetur, quam Jesu, ut crederetur.

Hinc solutam habes Quætionem haud ita futilem, olim a Patribus agitaram: solus ne Joannes celestem illam vocem audierit, solusque conspicuum de Cælo columbam viderit; an perinde cum illo totus, qui ad Baptisma confugerat, Judæus populus & viderit, & audierit? Solum audisse Joannem existimat Divus Hilarius lib. 9. de Trinitate; solumque vidisse censuerunt aliqui recentiores, ea ratione nixi, seu verius delusi, quod pro Joanne prodigia illa sint facta, ut ex illis Christum dignosceret: juxta quod illi in antecessum a Domino dictum fuerat: *super quem videris Spiritum Sanctum, descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizatus in Spiritu Sancto*. Verum quamquam Joanni potissimum innotuerit Christus, suscepto Baptismo, datique tunc signis: nihil tamen dubitandum, quin & toti Judæico populo manifestatus etiam fuerit; aut certe ad id signa illa sint data, ut palam ab omnibus posset agnoscere. Quod utique nequibat fieri, nisi impendentem Christi capiti columbam vidisset populus, & paternam de Cælo vocem audisset. *Videbatur Joannes multo admirabilior Christo, multoque præstantior. Ne igitur apud plurimos opinio ista firmaretur; baptizato illo, & Cæli aperiantur, & Spiritus Sancti continuo descendit, & cum Spiritu Sancto, vox Patris, Unigeniti sui predicat dignitatem. Quia enim vox illa quæ dixit, hic est filius meus dilectus, credebatur a multis Joanni potius convenire: nec enim adjecti ut diceret, iste qui baptizatus est; sed iste simpliciter: & uniusquisque id quod auditum est, de Baptista magis, quam de baptizato dictum putabat, tum ob ipsam baptizantis dignitatem, tum propter omnia illa quæ diximus: venit Spiritus Sanctus, in specie Columbe, & vocem traxit ad filium; cunctisque fecit esse perspicuum, quia istud quod ait, Hic est filius* Serry Tom. III.

meus dilectus, non de Joanne Baptista, sed de filio baptizato debere intelligi. D. Joannis Chrysostomi observatio est, Homilia 12. in Caput 3. Matthæi, quæ data de Cælo signa a populo observata discretissime probat.

XI. Num ex memoratis prodigiis Christi Baptisma fecerit, maxime vero ex Spiritu Sancti in illum illapso, eundem de facie nosse Joannes cœperit, non ita facile definiemus. Et quidem novisse illum antea, ac tunc saltem, dum ad Baptisma Christus accessit, illud videtur evincere, quod cum baptizari volentem Joannes ex humilitatis sentu repelleret, prohiberetque, inquit: *Ego a te debeo baptizari; & tu venis ad me!* Matth. Cap. 3. v. 14. Contra vero novisse postea tantum, dum Spiritus S. Columbæ specie capiti ejus incubuit; ac tum primum ex illo ipso signo eundem dignovisse, significare ipse visus est, dum ait: *Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizatus in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Joannis Cap. 1. v. 31. Dicam tamen ad implexæ difficultatis solutionem: Joannem Christum Dominum etiam de facie, Divino quodam afflatu, novisse, dum is ad ipsum Baptisma suscepturus accessit. Tunc enim illius etiam vultum, externaque oris lineamenta cognovit, quem diu antea natum fide noverat; quemque post se venurum, & in Spiritu Sancto, & igitur baptizatum prædicaverat: alias illum tanquam Baptismate non egentem non repulisset. Quod ergo ait laudato antea loco, *Ego nesciebam eum*, nimirum ex facie, ad præcedens tempus refertur, quo in solitudine vitam degens, Christum Nazarethi privatam tunc vitam agentem, de facie noverat nosceret. Quod etiam Joanni a Deo dictum erat: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, hic est, qui baptizatus in Spiritu Sancto*; non propter Joannem ipsum fuerat dictum, ut Christum ex hoc ipso signo dignosceret; sed propter consequentem illum populum Judæorum, ut non solus Baptizatus, sed & ipsius Iudæi testimonio Christus illis innotesceret. Nihil itaque novi ex prodigiis Christi Baptisma fecerit Joannes didicit; ex aperto tunc Cælo; ex Columba capiti incumbente; ex audita Patris voce, Iesum dilectum sibi Filium denunciantem: sed quæ illi de Christo notitia inerat, perfecta, confirmataque est, visis signis illis, atque prodigiis.

XII. Christum suscepto Baptismo Joannem vicissim baptizasse, quorundam opinio fuit, Scripturæ Sacræ, Patrumque testimonio in speciem confirmata. Christus enim Joanni a suscipiendo Baptismo dehortanti, dicentique: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me*, utique baptizandus, reposuit: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*: quo verbo significare visus est, debere tunc quidem Joannem finere, ut id fieret, quod Christus postulabat; ac tum postea faciendum & illud, quod Joannes optaret, ut nimirum ab ipso baptizaretur. Patres quoque, Gregorius Nazianzenus Orat. 39. S. Joannes Chrysostomus Homil. 12. in Matthæum, S. Augustinus Serm. 292. S. Hieronymus in Cap. 3. Matth. Theophylactus, Euthymius, Auctor Operis imperfecti apud laudatum Chrysostomum, Joannem a Christo baptizatum videntur asserere. Ubi tamen & Scripturæ Sacræ, & Patrum verba perpendo diligentius, rem secus esse intelligo, Patresque non de Baptismo aquæ simul, ac Spiritus locutos deprehendo; quasi eo Joannes a Christo sit tinctus: sed de sola Spiritus ejus, & gratiæ effusione, qua Joannes ipse Christum tingendo perfusus est, quam & Baptismatis nomine Scriptura Sacra non semel appellat.